

nis, adeoque intendit, quod aliquid possit causare se ipsum; & sic respondetur probando, nihil se ipsum physice causare posse simpliciter. Quod enim agit physice, antequam agat, jam debet esse in actu physico; tum quia actus secundus consequitur actum primum; tum quia non entis nulla est operatio physica, nihil dat quod non habet, nec potest dare actu esse, nisi illud esse actu possideat. Ex altera parte, quod physice producitur, non debet esse existens, non debet esse in actu, non debet habere esse, seu existentiam. Idem ergo a se ipso produci, vel causari, idem omnino est, ac idem esse simpliciter, & non esse; existere, & non existere; esse actu, & non esse actu. Quod probatur; quia in quantum causans, esset existens, esset actu, esset; in quantum causatum; non esset existens, non esset actu, non esset; ergo jam idem simul simpliciter esset, & simpliciter non esset.

Ad IX. Si idem non potest producere se ipsum, a fortiori non potest producere suam causam; quia sicut, si idem produceret se ipsum præexisteret ad se ipsum, ita si produceret suam causam præexisteret ad suam causam; unde simul esset prius, & posterius, sua causa in eodem genere, prius in quantum ipsam produceret, posterius in quantum ab ipsa produceretur. Hoc autem repugnat quam maxime, præcipue in genere causæ efficientis, de qua loquimur. Si ergo nequeunt duæ causæ esse invicem causæ, necessario devenire debemus ad ens unum, quod sit producens, & sit improductum, quod sit causans, & sit incausatum, quod sit movens, & sit immotum.

Ad X. In tota illa collectione causarum, quæ faciunt illud infinitum, vel omnes causæ sunt factæ, vel non? Si non? ergo intra totam illam seriem infinitam erit aliqua causa non facta: ergo tota illa collectio non erit facta. Si omnes causæ sunt factæ? Ab alia superiori sunt factæ: ergo jam extra totam illam causarum seriem datur aliqua causa, quæ sit superior. Iterum quærimus. Hæc causa, a qua tota causarum series dependet, vel ipsa etiam in suo esse, & operari, actu dependet ab alia causa superiori, itaut mora moveat, vel sic non dependet? Si non dependet? Ergo erit prima causa, movens omnia, efficiens omnia, ipsa autem immota, & non facta; & hæc est Deus. Si dependet? Iterum de illa quæritur pari modo, an ab alia dependeat, vel non dependeat? Et

infertur, ut dicebamus. Quia tamen in his causis actu simul existentibus, & sibi essentialiter subordinatis, non potest dari processus in infinitum; deveniendum est necessario ad ultimam, quæ sit Deus. Qui autem docent, mundum potuisse esse ab æterno, quoad entia successiva, non vero quoad permanentia, hoc asserunt. Entia successiva non sunt omnia simul, sicut sunt permanentia; insuper antiqui Philosophi, & præcipue Aristoteles, qui dicitur, hoc docuisse etiam de facto, non per hoc tamen negavit, mundum a Deo esse factum. Sic testatur Augustinus lib. 11. de civit. Dei cap. 4., asserens, Aristotelem admisisse mundum a Deo factum, sed semper factum, idest sine initio factum. Ergo quavis processus in infinitum admittatur in causis, adhuc admittenda est existentia Dei, tanquam primi moventis, & primi omnium rerum principii, a quo omnis illa collectio causarum, licet infinita, dependeat.

Ad XI. Quavis non sit in nobis idea, quæ comprehendat objectum infinitum, potest nihilominus intellectus noster cognitione sua saltem objectum infinitum attingere. Non assequimur cognitione nostra proprietates omnes circuli, trianguli, sphaeræ, &c. & tamen, quis negabit, esse in nobis ideam, seu notionem, circuli, trianguli, sphaeræ, &c.? Mens vero nostra, quavis entitative sit finita, in quantum habeat entitatem finitam; terminative vero dicitur infinita, quia objectum habet infinitum. Igitur idea, quam nos habemus Dei, non est comprehensiva Dei, est tamen cognitio abstractiva Dei; hoc sufficit, ne sit chimerica, & ut sit sufficiens, ut dicatur idea Dei.

Ad XII. Idea ingenita Dei, quavis sit in omnibus hominibus, non per hoc omnes homines æqualiter Deum agnoscunt, & colunt. Non tamen, quia non possunt, sed quia nolunt. Possent quidem omnes, si vellent, & attenderent ad conscientia dictamen, Deum agnoscere, & colere; sed non faciunt, quia nolunt, & quidem ex corruptione cordis, ex obnubilatione mentis, ex pravitate animi. Ab idea autem provenit cognitio quidem Dei, sed confusa, non explicita; & hoc pacto in omnibus, etiam rudibus, invenitur, si advertant; quod si non advertant, non est defectus luminis, quod non adfit, sed oculorum, qui non aperiuntur. Igitur Idea ingenita Dei est in omnibus hominibus; Doctiores autem huic ideæ innatæ addunt cognitiones demon,